

Vc
2990



2990

**RECTORUM
 ACADEMIÆ MAGNIFICUM,
 ILLUSTRISSIMOS COMITES, UTRIUSQUE
 REIPUBLICÆ PROCERES
 ET
 SPLENDIDISSIMAM GENEROSISSIMORUM AC
 NOBILISSIMORUM ALMÆ HUJUS CIVIUM
 CORONAM
 IN PRÆSENTI PROGRAMMATE
^{DE}
**M E R I T I S
 ELECTORIS AUGUSTI
 IN
 JURISPRUDENTIAM
 SAXONICAM
 CONSCRIPTO
 AD AUDIENDAM ORATIONEM,
^{Q U A}
 REGIA AUCTORITATE SIBI CONCESSAM
 PROFESSIONEM ORDINARIAM
 JURIS SAXONICI ET LECTIONIS
 PANDECTARUM CURSORIÆ,
 DIE XXIV. MAJ. A. S. MDCCXIX.
 CONSUETO AUSPICABITUR MORE,
 DECENTER ET OFFICIOSE INVITAT
 GEORGII ADOLPHI SCHUBERTH,****



H. F. v. P. Janus Comt.



Ntiqua virtute dum Germanorum res stabant, inter eos summopere SAXONES, ab externo Imperio & dominatu peregrino abhorrentes, majorum instituta legum loco tuenda suscipiebant, plus valere bonos mores rati, quam leges scriptas. Conversa tamen, seculorum aliquot decursu, regiminis illorum facie, & auspicio FRANCORUM regnandi forma mutata, (a) SAXONES legitimos principes accipiebant, qui justa & necessaria, inque novam verse Reipublicae profutura fundamenta observaturi, consuetudines, quibus coauerant, & pacata, ad quorum tenorem haec tenus suas instituerant, in ordinem redigebant, ita ut secundum illa tanquam normam legalem, controversiae imposterum decidenterent, & in gravioribus causis, gentis insuper adhiberetur suffragium. (b) Novae tamen eo ipso SAXONIBUS non fuerunt latae leges, & illud, quod de CAROLO & CONSTANTINO, MAGNIS, tanquam autoribus Saxonici juris narrat glossator, (c) jam diu commentis & nugis amnumeratum fuit, (d) sed permisum Saxonibus uti patriis legibus, (e) adeo ut & CAROLUS M. in constitutione *de sede regia & iudicio Imperiali Aquisgranensi*, (f) ipse fateatur, se legem Saxonum non ex sua adinventione vel corde protulisse, sed communi, i. e. populi adhibito (g) consilio renovasse, & in melius auxisse. Nec novae impositae Saxonibus legis prohibebit exemplum *Capitulatio illa CAROLI M. de partibus Saxonie* ex antiquissimo Palatino Manuscripto Vaticanae bibliothecae eruta in monumentis Paderbornensibus, quippe nec multum immutati veteris Saxoniarum mores, nec ex ea solius CAROLI M. legem Saxonibus prescribendi potestas tuto colligitur, (h) sed potius, dummodo antiquae illorum coniuetudines serio cum ista conferantur, plura capita ejusdem inde desumpta fuisse, constabit. Jus enim Saxonicum non tantum propter antiquitatem, sed etiam regionum & populorum, qui eo utebantur, & adhuc utuntur, amplitudinem, non facile correctionem admittere videbatur, sed potius Saxonum genti salvum relictum fuit, praesertim cum

- (a) v. WITTICHIND. CORBEJ. *Annal. Libr. I. ap. MEIROM. Script. Rer. Germ. T. I. p. 64. pr.*
- (b) SCHURTZFLEISCH. *d. antiqu. Saxon. dignit. §. III.*
- (c) v. *proem. Spec. Saxon. Ej. Libr. I. art. 14. Libr. III. art. 82. Lehrs. R. gl. cap. XIX.*
- (d) ALB. KRANZ. *Saxon. Libr. II. Cap. XXI. p. m. 45. conf. de confirmatione Weichbildis Saxon. Ottone I. & agnitione illius Carolo M. falsa tributa Dn. MENCKEN. in Progr. V. Volum. Disput. p. 884. CONRING. de Orig. Jur. Germ. Cap. XXX. seq.*
- (e) Poet. Saxon. de gest. Caroli M. L. IV. ap. Brunswic. Script. LEIBNITII T. I. p. 153. conf. tn. SCHATTEN *de Vita Caroli M. Libr. I. Cap. I. p. 2. OCKEL. d. Palat. Reg. pag. 5.*
- (f) *quam vid. ap. GOLDAST. Collect. Constit. Imper. Tom. II. p. 7.*
- (g) CONRING. *d. I. Cap. XII. p. m. 56.*
- (h) *unde statim in proemio adficitur, id, quod insequatur, placuisse omnibus. vid. d. monum. Paderbornens. Fuerstenberg. p. 301.*

cum ab eo tempore, quo Majestatem Imperii comiter habuit, perpetuo ejus consensu Autonomia fuerit usq;. (i) Latiora tamen accipiebat incrementa status legum Saxoniarum, Electorali dignitate ad Dukes Saxoniae devoluta; (k) ut enim BERNARDUM, ALBERTOS, RUDOLPHOS, WENCESLAUM & FRIDERICOS, quorum constitutiones vel desperditis annumerandae, vel adhuc in tenebris latent, silentio præteream, Electoris certe ERNESTI constitutio provincialis d. a. 1482. quæ corporis Juris nostri primam facit paginam, luculento inservit argumento, maximam ipsius versatam fuisse curam circa tollenda judiciorum gravamina, legesque patrias emendandas & supplendas. Pressit postmodum hujus vestigia fideliter MAURITIUS an. 1547. Electoralem eminentiam nactus, cuius lāncita d. an. 1543. 1549. & 1550. inter species dispositionum Saxoniarum inveniuntur. (l) Sed longe majorem juri nostro affudit lucem SERENISSIMUS AUGUSTUS, qui post ascensionem Solii Electoralis an. 1553. factam sollicitus ante omnia fuit, quo tranquillum redderet intestinum suæ reipublicæ statum, unde an. 1554. d. 24. Febr. Numburgi cum JOHANNE FRIDERICO quondam Electore prætensionem suam iterum moveente, ut ipsi Electoratum cum circulo relinqueret, expresse pepigit, concessio eidem titulo Electoris nati, ut præter ciuitates in Capitulatione Carolina d. an. 1547. destinatas, Altenburgo, Lucca, Smolla, Sachsenburgo, Herbislebensi ac Eisenbergensi præfecturis, una cum jure reliundi Regiomontum & Alstedium & centum millibus Imperialium potiretur. (m) His, quas metuerat, turbis scepis, animum in id adiplicuit, ut defectum Jurisprudentiae Saxonicae sublevaret, vr gente hoc sapientissimum institutum subditorum in diætis provincialibus jam diu mota querela. Misere enim tunc temporis in judiciis & dicasteriis clientum causæ agitabantur, cum fere nullum jus certum & literis consignatum adefset, & inde quotidie surgeret inæqualis casuum dubiorum decisio. Qui itaque statum illorum temporum norit, forte non mirabitur, quatuordecim JCTos Italiae præci puos quondam de hac quæstione: An stante statuto, feminas, admisis solum masculis, a successione excludente, filia exclusa, supplementum legitimæ petere queat; in affirmativam & negativam sententiam, ex æquilibrio quasi propendisse. (n) Medelam vero huic malo, & levamen difficultati de jure respondendi afferre statuit AUGUSTUS, ac, cum uno momento jurisprudentiae haec tenus cultæ nævos tolli non posse probe animaduerteret, legislatoris perspicui & justi officio fungi voluit quosdam speciales leges mandatis diversisque respectis contentas, mox insequenti compilationi Juris Saxonici, quod

a 2

Electo-

(i) conf. BETS, d. statut. famil. illustr. Cap. II. §. 4.

(k) v. ZIEGL. de singul. Elect. Saxon. eminent. Cap. II. §. IV.

(l) v. Corp. Jur. Sax. p. m. u. 19. 22. 127.

(m) JO. SEB. MULLER. Annal. Saxon. ad an. 1554. p. 122.

(n) v. MOLLER. ad Constitut. Elector. in prefat. p. 1.

Electorele vocatur, promittendo. Incurrunt illæ manus oculosve ejus, qui per transennam quasi rem adspicit, & levi opera corporis nostri juris folia, cæterosque Saxonie annales, tangit; unde merita Electoris Augusti in Jurisprudentiam, per varias juris antiqui emendationes, defectus suppletos, & correctiones conspicua existunt. Recurrit huc, tanquam ad primum fundamentum, quæ an. 1554. d. 8. Octobr. de jure Hospitalitatis in forma patente emanavit dispositio; (o) Cum enim illud nec in glossa Juris Weichbildici art. XLVII. col. 4. nec in textu Juris Provinc. Libr. III. art. XXIII. satis accurate definitum esset, decisionem litis, quæ forte de juribus hospitaturæ moveri posset, faciliorem, mediante illa constitutione, reddidit, eo, quod pro receptione, hospitio, vietualibus & reliquis necessitatibus præstandum veniret, & quæ cura eslet hospitatoris, determinato. Subsequebatur hoc mandatum ordinatio provincialis Dresdæ an. 1555. d. 1. Oct. promulgata, in cuius procœmio Elector ipse fatetur, dispositio-nes antecessorum suorum partim ob belli calamitates direptas, partim ad statum illorum temporum parum adipicari posse, ideoque necessum fuisse, ut gravamina a subditis oblata & detecta nova aliqua constitutione resloveret, quod & in hac ordinatione provinciali præstit, & in consistorialibus ac ecclesiasticis, civilibus, criminalibus, judicialibus, politicis, feudalibus, forestalibus & œconomicis causis multa ex communis & pristini juris placitis immutavit, noviorique conformavit praxi. Hanc vero ordinationem eum jure communi collatam judicia Saxonica in judicando observabant, quibus tres instantiae, Praefecturalis, Curialis (p) & tandem Electoralis tanquam supra-rema, erant constitutæ, nec ulterior concedebatur provocatio ob privilegium de non appellando Electori Saxonie jam dudum indulsum, (q) cuius confirmationem & ad omnes Princes Ducesque Saxonie extensionem in Comitiis Augustanis ab Imperatore FERDINANDO I. an. 1559. d. 2. Maij (r) unani- cæterorum Electorum, DANIELIS Moguntini, JOHANNIS Trevirensis, ANTONII Coloniensis, OTHONIS HENRICI Palatini & JOACHIMI Brandenburgi consensu impetrabat Elector AUGUSTUS, & paulo post in magis & luculentius Jurisprudentia Saxonie incrementum consilium supremum Provocationum Dresdæ adornabat, præside & XII. assessoribus instructum. (s) Nec institutum hoc Divi principis de emendanda patriæ Jurisprudentia diu remorari poterant intestinæ, quæ tunc temporis subnæscabantur, controversiæ; Circa annum enim

1561.

(o) MULLER. d. annal. p. 124. conf. R. I. d. a. 1530. Tit. XXV. von theuern Zehren bey den Wittenberg. Corp. Rec. Imp. p. 274. BLESENDORF. d. jur. hospit. Cap. VI. n. 21.

(p) vid. SECKENDORF. Deutsch. Fürst. Staat L. II. Cap. 9. §. 5. SCHNEIDER. Chron. Lips. Libr. VII. p. 348.

(q) vi Aurea Bulla Cap. XI. §. 3. & Sigismund. Imp. Privil. d. a. 1423.

(r) MULLER. Annal. d. l. p. 131. Ill. Autor des Europ. Heroldes T. I. p. 265.

(s) v. LIMN. Jur. Publ. L. III. Cap. X. n. 41. 73. conf. integr. Tractat. CARPZ. de privil. Sax. de non appell. & KNICHEN, de Sax. non prov. jur. in Op. p. 151.

1561. Comitum Schwartzburgicorum attentata contra jura, eminentiam ac prærogativam Domus Saxonice Electoralis prorumpebant, quibus, licet jam seculo XII. Landgraviis Thuringiae tanquam Landfassii a Lothario Imperatori adscripti essent, (t) evincere conabantur, se a Landsfassiu Saxonicu exemtos propriam in territorio superioritatem posse exercere. (u) Causa tamen coram Austregis diu ventilata, tandem an. 1570. d. 22. April. Augustus Elector ab instantia absolvebatur, fundatumque antea jus Landsfassiatu Saxonicu lata sententia denuo confirmabatur. (w) Composita itaque hac lite ad perficiendum laborem terris & legibus Saxonice proficuum pergebat AUGUSTUS, & anno jam 1568. novam ordinationem Altenbergi d. 1. Maji de proventibus partibusque Metallicis (x) latam ita adornabat, ut non incongrue inibi dispositionem Land-R. Lib. I. art. XXXV. aliquo modo emendatam & extensam fuisse pateat. Pariter, quæ haec tenus sæpe reddita fuerat ardua in causis molaribus ortarum controversiarum decisio, (y) firmabatur demum speciali ordinatione molendinari AUGUSTI anno 1570. d. 28. Febr. quam postea, anno 1607. d. 24. Febr. CHRISTIANUS II. & an. 1613. d. 18. Mart. JOHANNES GEORGIUS I. repetitam, in multis auxere locis. Licet vero, quas jam recensuimus, ordinationes Augusteæ intentionem laudissimam Legislatoris erga subditos & patriam satis abunde monstrant, longe tamen majorem Jurisprudentia nostra accepit splendorem, dum CONSTITUTIONES suas Electorales, quibus judiciorum ordo firmatus, norma legalis dicata, & controversiarum subnatæ in jure & facto decisæ anno 1572. d. 21. April. diu exhibitis subditorum desideriis satisfacturus dabat. Querulam hisæpe in conventibus publicis principi exposuerant mentem de justitia per varietatem & disparitatem sententiarum ac responsorum haec tenus graviter onerata, quibus eorum supplicibus petitis de reformanda jurisprudentia tandem clementissime annuebat, eo ipso fieri posse persuasus, ut, vacillantibus opinionibus & fluctuantibus votis sublatis, certum jus constitueretur. Dum vero de illo meditabatur, concinnari ante omnia jubebat catalogum quæstionum controversiarum, earum examine Facultatibus & Scabinatibus Lipsiae & Vitebergæ commisso, quarum deinde discussionem, detectis dubitandi & decidendi rationibus, ab Antecessoribus utriusque universitatis Schneidewino, Wesenbecio, & Thomingio in primis oblatam (z) accipiebat, Misericordiaque con-

a 3

voca-

- (t) v. Gründliche Nachricht von denen Sachsischen und Schwarzbürg. a. 1699. und 1702. errichteten Recissen p. 5. & in Append. No. I. II.
(u) MULLER. Ann. d. l. p. 134. conf. Grundriss der Schwarzbürgischen uhralten Immediatität und Reichs-Freiheit aus der Wahl Graf Günthers des XXI. pag. 9. & 10.
(w) vid. dict. gründl. Nachricht in App. p. 17. no. 14.
(x) MULLER. d. l. p. 153. conf. B. HORN d. libr. Metall. Antigraph. S. IV. p. m. 3.
(y) v. Consult. Saxon. Part. V. Cap. V. n. i. p. m. no. conf. PHILIPP. ad dec. El. 53. obs. 1.
(z) quæ & hodie sub nomine Consultationum Saxoniarum quinque partibus distincta in fol. prostat
Pr. d. a. 1559. conf. STRUV. His. Jur. Cap. VI. §. 42. p. 552, not. **

vocatis præcipuis ex Nobilibus, Aulicis, & intimis consiliariis, ut & collegii supra laudatis (aa) tradebat, ut constitutiones quasdam compонerent, quas matura deliberatione perpensas & probatas, autoritate sua Electorali confirmabat, plenamque postmodum illis conciliabat juris virtutem, quam post duorum mensium, a die publicationis computandorum, intervallum, in Sententiis & Responsis attendi in Dicaesteriis juridicis & Judiciis (bb) imperabat. Is vero, quem in compilandis constitutionibus obseruavit Elector, quaternaria divisionis ordo, quibusdam displicuit, qui, fastidio Legum Justinianearum, ex præconceptis opinionibus nato, duci distinctionem commodiorem fieri potuisse credentes nec naturali constitutionum ex judiciorum, contractuum, testamentariis & criminalibus causis consultant, serie locum relinquunt, nec Divo Legislatori imputare erubescunt, ac si nullas prorsus considererit novas Leges, sed potius omnia ex Romanis placitis decerpserit, Justiniani vestigia & doctrinam secutus novos Jurisprudentiae plures inferuerit, quam sustulerit & ita JUSTINIANI SAXONICI nomine veniat maestandus. Sed ut taceam AUGUSTIUM, si ejus ævitam immaturum latum fuisset de constitutionibus hisce judicium, merito profanum Zoiolorum vulgus arcuisse, eique accuratio rem Legum patriarcharum inspectionem injunxit, certe, qui differentias inter Jus Saxonicum & Justinianum intercedentes (cc) oculo vel coecuiente intuitus fuerit, primo statim conspectu, quam insignem a civilibus sanctionibus Saxonice leges fecerint secessum, apprehendet & quanta cum iniuitate ex Romano jure existimetur transumptæ, assequetur. Sed hæc non meam impræsentiarum tangunt curam, potius reliqua in Jus Saxonicum AUGUSTI Augusta merita veniunt evolvenda. Ille autem cum superioritate territoriali potestatem leges ferendi, (dd) & interpretandi contineri, hanc vero interpretationem per Dicaesteriorum, quibus de jure respondendi facultas concessa erat, (ee) in applicando sollicitudinem egregie adjuvari probe perspiceret, Scabinatum Lipsiensem, Ann. 1574. d. 6. Novembr. reformabat, eique novis, & pluribus assessoribus datis hosce in id jurare jubebat, quod in causis dijudicandis normam in Constitutionibus definitam observare vellent. (ff) Cum vero in iis non omnes judiciales controversiae reperirentur, & in specie paucis & specialibus verbis Appellationum in Part. I. Conf. XX. facta fuisset mentio, ac frivole inde litigantes jus, quod desuperjam antea

(aa) quorum singulorum Catalogum exhibet MOLLER. ad Conf. Elec. in prefat. p. 3.

(bb) tam superioribus quam inferioribus. Conf. El. in praem. C. S. p. 146.

(cc) Præcipui, qui de differentiis Juri Saxon. & Civilis scripturæ autore sunt LUD. FACHSIUS, BENEDICT. REINHARDUS, CHRISTOPHI. ZOBELIUS, WOLFG. AD. LAUTERBACH, & aut. Juri Saxonici discrepantis &c. conf. GREG. LETI bistor. dell. Cesa di Saffon. Libr. VI. p. 406.

(dd) conf. HORN. Jurispr. Publ. cap. IX. §. 1. seq. ZIEGL. d. iur. Maj. Libr. I. Cap. VII. §. 5. seq.

(ee) vid. SCHNEIDER. Chron. Lips. Libr. VII. p. 347. Additionat. ad testament. MELCH. OSSÆ. Part. II. Cap. XIII. n. 243. p. 489.

(ff) vid. LUNIG. Deutsc̄. Reichs. Arch. Part. Spec. Contin. II. n. 188. p. 779. Autor annal. ad d. testam. Off. p. 125.

tea latum fuerat, in dubium vocarent, adversis praefectos inhibitiones in Curiis impetrarent, eosque saepius, ut eo fortius lites protraherent, coram illis convenienter, singulari Rescripto An. 1579. d. 28. Jan. Annæburgi emissio, jubebat Elector, nullam imposterum decerni inhibitionem, nec in Curia appellationem accipi, multo minus illi deferri, nisi Apostolos suos judex inferior reverentiales aut refutatorios dede-
rit. Salutares hæ Divi legislatoris occupationes, quibus processum judiciarium in ordinem redegerat, nævösque, quibus haetenus scatue-
rat, purgarat, merita in Jurisprudentiam augere videbantur, si æquissi-
mæ in ecclesiasticis quoque controversiis præscriberentur decisiones.
Piissimæ huic intentioni in factum deductæ debemus articulos genera-
les, qua ratione Visitatio Ecclesiarum suscipienda, definites, qui
præmittebantur Ordinationibus Ecclesiasticis Anno 1580. d. 1. Jan. in
civitate Annæburgo conditis, quibus sacratissimus princeps non
salteri congruum in Ecclesiasticis seryandum ordinem, statum-
que Scholarum & Confistoriorum, quibus tunc temporis supremum Dresdense d. 24. Febr. præstituit, (gg) respiciebat, sed pecu-
liarem quoque exauriebat curam in conseruandis per stipendia
Academiis, licet eo nomine pariter commendanda veniat constitutio,
qua jura utriusque Academiarum Lipsiensis & Vitebergenis confirma-
vit, legesque ipsis in lectionibus, disputationibus & promotionibus
obserandas tulit. Sed hæ & aliae constitutiones, quas præscriperat,
non impeditre poterant, quominus in judiciis ad abusum traherentur,
& voluntas Legislatoris non semper & ubique obseruaretur; Con-
querentes itaque hac de re status provinciales exaudiebat, & in diatis
Torgaviensibus an. 1583. d. 18. Maji speciali rescripto gravamina tolle-
bat, repetitis, veletiam, pro qualitate causarum, extensis iis, quæ Ele-
ctoralibus constitutionibus antea inseruerat, cui adhuc separatum jun-
gebat mandatum, quo, ut nequitiam fraudemque in judicio versan-
tium compesceret, nomen concipientis supplicationibus subscribi eoque
neglecto illas haud recipi mandabat. (hh) Arduis hisce sollici-
tudinibus coruscant AUGUSTI Electoris merita in Jurisprudentiam
Saxonicam, quibus affectum plus quam paternum in salubribus fe-
rendis legibus eo luculentiorem subditis demonstravit, quo major erat
penes omnes illius reverentia & amor. Conditis igitur Ordinatio-
nibus, ut officia legislatoris rite expleret, data occasione per interpre-
tationes vel authenticas vel doctrinales illas illustrari & declarari cu-
piebat, ac ne illis Imperialibus sanctionibus derogaretur, (ii) cavebat.
(kk) Jus enim defendendi & interpretandi leges latas ipsius tanquam

Ducis

(gg) MULLER. annal. d.l. p. 175. Corp. Sax. p. 62. 206. 277. 331.

(hh) MULLER. d.l. p. 184. j. Ref. Grav. d. an. 1601. gr. 35. Ord. Appell. d. a. 1605. in C. S. p. 861. Man-
dat. Dippoldisw. d. a. 1691. §. 9. conf. CARPL. Proc. Tit. V. art. 7. n. 64. seq.

(ii) conf. BECHMAN. d. jurib. Seren. Dom. Saxon. §. XXI. XXIX. BETS. d. pacif. famil. Cap. I. §. 2.
p. 9. GIOVANNI German. Princ. de Saxon. Cap. IV. §. 36. p. 188.

(kk) conf. Recess. Auguſtan. d. a. 1555. Rec. Spirens. d. a. 1557. Rec. Wormat. d. a. 1564. Rec. Erfurt. d.a.
1567. Rec. Norib. d. a. 1569. Rec. Ratiib. d. a. 1576. &c.

Vc 2990 FK

Ducis & Palatini Saxoniae proprium esse (II) judicabat, ex quibus nimurum dignitatis speciebus haec deducenda videtur potestas. Aliis tamen defensionem, protectionem & interpretationem juris Saxonici ex alio fonte derivare, & vel titulo privilegii aut consuetudinis exerceri, vel ex Burggraviatu Magdeburgico descendere visum fuit. Mereri diversas hasce opiniones, quae accuratiori subjiciantur disquisitioni, putavi, quem laborem eo libentius suscepit, quo aptior mihi visa fuit occasio, tali tractatione munus, Jus Saxonum publice docendi, gratiosissime in me collatum, auspicandi. Cum enim *Serenissimus atque Potentissimus Dominus, DOMINUS, FREDERICUS AUGUSTUS, Poloniarum Rex, Magnus Dux Litthuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiæ, Kyoviae, Volhyniae, Podoliæ, Podlachiae, Livoniæ, Smolenskiæ, Severiae & Czernicoviae, &c. Dux Saxonie, Julie, Clivie, Montium, Angriæ & Westphaliae, Sacri Romani Imperii Archimareschallus & Elector, Landgravius Thuringiae, Marchio Misniae & superioris æque ac inferioris Lusatiae, Burggravius Magdeburgi, Comes Principali dignitate Hennebergicus, Comes Marcæ, Ravensbergi & Barbyæ, Dynasta in Ravenstein, &c. &c. Dominus & Nutritius noster longe clementissimus Professionem Juris Saxonici & lectionis Pandectarum Curloria ordinariam, quam antea Vir Excellentissimus Dominus D. Johannes Fredericus Troppanneger, S. Reg. Maj. in provocationum Senatu Consiliarius, per aliquot annos ornatam ad alia munia vocatus vacuam reliquerat, meæ tenuitati demandare clementissime decreverit, partium meorum esse arbitratus sum, more in hac Academia recepto quedam, a concessso officio non prorsus aliena, præfari. Inauguralitate dicendæ orationi, qua *Saxonem interpretem & protectorem Juris Saxonici* fistam, dies proximus Mercurii, qui est 24. Maii destinatus est, ad quam audiendam *Rectorem Academiae Magnificum, Illustrissimos Comites Ruthenos, utriusque Republica proceres gravissimos, & Generosissimorum ac Nobilissimorum Dominorum Commilitonum cœtum* invito, eosque, quæ decet reverentia, obsequii contestatione & humanitate rogo, ut benignis auribus, quæcunque in Auditorio J. Ctorum Petrino post horam IX. de hoc argumento sum prolatus, excipient; Tam exitium benevolentia specimen omni, dum vixero, sollicitudine & officiorum promptitudine demererit, annitar. P. P. Dom. Exaudi.*

A. R. S. MDCCXIX.

(II) conf. HORN. d. Comitib. Palat. Saxon. S. 21. Ej. *Jurisprud. Feud. Cap. I. apb. 32. & in App. II. n. 20. p. 256. Ill. Aut. social. Europ. n. ed. T. I. p. 253.* LEUBER. *disquis. Statul. Saxon. n. 1384.*

LIPSTADT, LITERIS IMMANUELIS TITII.

ULB Halle
006 681 050

3



v278



RECTORUM
ACADEMIÆ MAGNIFICUM,
ILLUSTRISSIMOS COMITES, UTRIUSQUE
REPUBLICÆ PROCERES

ET
SPLENDIDISSIMAM GENEROSISSIMORUM AC
NOBILISSIMORUM ALMÆ HUJUS CIVIUM
CORONAM

IN PRÆSENTI PROGRAMMATE

DE

M E R I T I S
ELECTORIS AUGUSTI
IN

JURISPRUDENTIAM
SAXONICAM

CONSCRIPTO

AD AUDIENDAM ORATIONEM,

Q.U.A.

REGIA AUCTORITATE SIBI CONCESSAM

PROFESSIONEM ORDINARIAM

JURIS SAXONICI ET LECTIONIS
PANDECTARUM CURSORIÆ,

DIE XXIV. MAIJA A. S. MDCCXIX.

CONSUETO AUSPICABITUR MORE,

DECENTER ET OFFICIOSE INVITAT

GEORGIUS ADOLPHUS SCHUBERTH,

D. ET. P. P.



R. F. v. 15. Janv. Comt.

